

Litterae Privilegiales praesentatae, publicatae & acceptatae sunt, solo duntaxat egregio Budor ex parte sua & reliquorum foeminini sexus hominum Familiae Kerechenianae eidem Privilegio super incorporatione & acceptatione contradicente.

Magister Ludovicus Vagics de Nagy Mlaka m. p.

Protonotarius Regni.

Ex supplici Libello L. et R. Oppidi Cirkveno, Comitii Regni Hungariae porrecto et typis vulgato.

CCXI.

Anno 1673. die 30. Julii. Viennae.

Leopoldus Rex stipendia pro confiniaria militia promittit; Locumtenentem Bani ultro quoque suo officio fungi vult; renovationem diplomatis de fidelitate Croatorum spondet.

Reverende, Honorabiles, Spectabiles, Magnifici, Egregii et Nobiles, Prudentes item ac Circumspecti, fideles nobis dilecti. Ea omnia, quae tam per Litteras Supplicesque Libellos, quam per Ablegatos Vestros Maiestati nostrae diebus hisce praeteritis demisse proponenda repraesentandaque habuistis, clementer intelligentes, hoc ut sequitur modo nosmet eatenus punctatim resolvimus.

Et primo quidem quoad Militiam nostram confiniariam ad pristinum numerum redigendam, solutionemque illius maturandam et accelerandam, eandem haud ita pridem ad Mille Capita reductam pro vigiliis obeundis Regnorumque horum nostrorum defensione, modo in locis Stationum suarum et Praesidiis Nostris constanter permaneat, sufficere posse iudicantes, Camerae Nostrae Aulicae serio commisimus, ne solutionem illam confiniariam ullo modo amplius differat, verum ad debita sua loca praetacta videlicet nostra Confinia propediem expediat et pro futuro de medio in medium Annum ordinarium Militem nostrum Confiniarium exolvat. Cui benignae Nostrae dispositioni et Mandato eandem Cameram Nostram ex debito officii sui rite satisfacturam nulli dubitamus.

Secundo circa Officium Banatus. Cum modernus eiusdem Locumtenens fidelis utpote noster Spectabilis et Magnus Comes Nicolaus Erdödy de Monyorokerek, Montis Claudii et Comitatus Varasdinensis perpetuus Comes, Praesidii Nostri Petrinensis Supremus Capitaneus, Camerarius et Consiliarius noster, idem officium cum plenaria auctoritate effective et actualiter exercent, fidelibusque nostris Regnicolis vigore huiusmodi sibi concessae auctoritatis Juris et Justitiae complementum administrare valeat, ideoque in solo duntaxat nomine sit differentia, nihil pro nunc hac in parte immutari, verum tali quoque modo et sub